



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Epistola Theodoriti Episcopvm Andream Samosatenum scripta ab Epheso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ANNO
CHRISTI
533

*rundinibus occiderunt, sicut arbitrantur: at Deus per prophetam
clamat: Pastores plurimi corruerunt vineas meas, con-* *1er. 12.*
*taminauerunt portionem meam, posuerunt portionem
meam amabilem in desertum inuium.*

EPISTOLA THEODORITI AD EPISCOPVM
Andream Samofatenum scripta ab Epheso.

AB Epheso scribens saluto tuam sanctitatem, quam beatifico
quidem infirmitatis, amabilem vero Deo existimo, quoniam
auditu, non experimento, cognouit mala quæ hic facta sunt, mala
omnem rationis vim superantia, & historicam uincencia narratio-
nem, continuisque lacrymis & perpetuis fletibus digna. Periclita-
tur enim ecclesiæ corpus dirumpi, magis id uero iam incisionem sus-
cepit, nisi ille sapiens medicus diuisa & putrefacta membra resice-
ret & coniungeret. Insanit iterum Aegyptus aduersus Deum, &
bellat cum Mose & Aaron & famulis eius, & plurima pars Is-
rael aduersariis consensit, nimis uero pauci sunt sani, qui & pro
pietate labores sponte sustinent. Deculcata sunt pietatis uenerabilia.
Illi qui depositi sunt, sacerdotalia ministeria peragunt: & qui de-
posuerunt, domi sedent gementes. Illi qui cum depositis excommuni-
cati sunt, depositos liberauerunt depositione, sicut arbitrati sunt.
Talem ludunt Synodum Aegyptii, & Palæstini, & Pontici, &
Asiani, & cum his Occasus. Plurima enim pars orbis terrarum mor-
bum suscepit. Quales mimi ridiculorum in tempore impietatis, sic
pietatem in comædia deluserunt? Qualis uero comædiæ scriptor ta-
lem unquam fabulam recitauerit? Qualis uero tragædiæ poeta di-
gne fletus eorum conscripserit? Tanta & talia Dei ecclesiæ mala
insultauerunt: magis uero breuissimam particulam narraui eorum
quæ præsumpta sunt.

EIVSDEM AD NESTORIVM, POST VNITATEM
inter orientales & sanctissimum Cyrillum factam.

Domino meo reuerendissimo, & religiosissimo, & sanctissimo
patri episcopo Nestorio, Theodoritus in Domino
gaudere.

QUOD non urbana conuersatione delector, nec seculari cura-
tione, nec gloria, nec altis sedibus sum alligatus, arbitror sci-
re tuam sanctitatem. Licet enim & nihil aliud, ipsa tamen solitu-
do ciuitatis quam gubernare sortitus sum, sufficit hanc me philoso-
Concil. Tom. 12.

S ij